

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Prorector Et Senatus Academiae Kiloniensis ad Spiritus Sancti Beneficium, quod sub imagine laetae Hebraeorum Pentecostes pinxit Moses

Reuther, Barthold

Kiloni[i], [MDCCV?]

VD18 13384082

[Prorector Et Senatus Academiae Kiloniensis ad Spiritus Sancti Beneficium,
quod sub imagine laetae Hebraeorum Pentecostes pinxit Moses]

urn:nbn:de:gbv:45:1-17372

Q

 Uinquagesimus hic est a resur-
 gentis Christi memoria dies, quem jam antiqui-
 tus coeleste Numen memorabili ad posterita-
 tem beneficio ipsum insignivit. Nostis, opina-
 mur, Cives, eundem & Hebraeis festum pridem
 fuisse ac solemnem, appellatumque hebdomadum, (a) mes-
 sis (b) & primitiarum. (c) Celebrari quippe ex Jehovae
 mandato oportebat, septem integris post Pascha dierum
 hebdomadibus numeratis, quando messis inciperet, eo-
 que tempore erant novarum frugum primitiae juxta cum
 certis quibusdam sacrificiis, quae nunc recensere singu-
 la haut vacat, (d) Deo offerendae. Sed, uti pridem Jo-
 sephus (e) annotavit, ⲛⲏⲣⲉ etiam, hoc est, sacram eum
 congregationem nominarunt, qua plane mirifico exsul-
 tare gaudio solebant. Neque vero id institutum divinae legi
 adversum erat, quin totidem in ea verbis praeceptum,
 adeoque edictum a Deo maxime Φιλανθρωπία και Φιλοψυχία
 qui hilari in primis cultu delectatur. Laetator (ita lex ha-
 bet) coram Jehova, (f) Deo tuo, tu & filius tuus & filia
 tua, servusque tuus & ancilla tua, & Levita, qui erit in-
 tra portas tuas, peregrinus quoque & pupillus & vidua,
 qui degent tecum. (g) Daemonis haec alioqui cura, hoc
 studium fuit fere semper, ut ritus tristes ac ferales in res
 publicas introduceret, sibi suisque sacris addictas. Ri-
 diculus hic mos Diodoro teste (h) apud Aegyptios inva-
 luit quondam, ut Osiridis aut Adonidis (i) obitum, se-
 nescen-

(a) Ex. XXXIV. 22. Deut. XVI. 10. 16. (b) Ex. XXIII. 16. (c) Num. XXVIII. 26.
 (d) Vid. Deut. XVI. 9. sacrificia autem illa Lev. XXIII. 18. ff. & Num.
 XXVIII. 26. ff. denominantur. (e) Orig. lib. III. c. 13. (f) Huc conf. Deut.
 XII. 17. f. XIV. 26. (g) Deut. XVI. 11. (h) Hist. lib. I. (i) a quo non ali-
 um fuisse illum, probat Heins. in Arist. sacr. c. 1. Unde & solemnia haec Ado-
 nia vocantur Ammiano Marcellino lib. XXII. c. 9.

nescentem scilicet & deficientem terrae fructum, annuis
 κατά τον θείον λυτibus plangentes, raderent capita,
 tunderent pectus, lacerarent lacertos, ceu scribit Julius
 Firmicus. (k) Cui etiam Phoenices aliquid cognatum
 habuisse, vel ex Eusebio (l) potest liquere, idemque de
 Grajis prodidit Plutarchus. (m) Ab his itaque publica hac
 professione divino sese iussu secernebat Hebraeorum u-
 nusquisque: nil in moestitia mea comedi ex eo, quod
 sacrum est. (n) Ejus vero moris, perpetuo deinceps sub Ju-
 dicum (o) Regumque (p) imperio, quin & sub Principibus
 in exilio Babylonico & postea (q) servati, vestigia repe-
 rimus apud viros fide dignissimos, sanctos scriptores.
 Nec est, quod quis existimet hac festivitate gratum modo
 animum ac pium hilaremque declaratum ex ritu fuisse:
 τυπική illa fuit, ac futurorum, si quae alia, praesignis ima-
 go. Uti enim tota legis administratio, (r) ita in primis
 etiam dies festi σκία των μελλοντων αγαθων (s) existere, ut
 disertè significatum Colossensibus interprete Paulo. Sane
 Esaias ad aevum Messianum refert, ni fallimur, his ver-
 bis: coram te laetabuntur quasi laetitia, quae in messi-
 bus agitatur, (t) conviviis nimirum apparatis, quibus
 clangore multo cantuque personabant, (u) ut Robertzo-
 nius (x) observavit. Insuper hoc quippe iis aetatibus, quibus
 Judaica gens, in tenebris versans, magnam erat lucem
 conspectura, (y) quibus jugum oneris ipsius (z) hume-
 rorum-

(k) de error. prof. vel. (l) Praep. Evang. lib. I. c. 9. (m) lib. de Iside. (n)
 Deut. XXVI. 14. ad quem locum videte Spencerum lib. II. c. 24. & ju-
 dicare. Jubebat Deus decimas & cum laetitia, & non nisi a puris comedi.
 Castal. in not. adh. l. (o) Vid. Ruth. II. 23. (p) 2. Chron. VIII. 13. (q)
 Tob. II. 1. 2. Macc. XII. 32. (r) Hebr. X. 1. (s) Col. II. 16. 17. (t) IX. 3.
 (u) Ps. LXV. 14. Genf. CXXVI. § 6. Joh. IV. 35. (x) de festis Hebr.
 c. VIII. §. 3. (y) v. 2. (z) vid. Act. XV. 10.

rorumque virga, baculus ipsi imperantium perfringendus, (a) per praedicationem de Christo, triumphatore mortis ac inferni. Quod, si unquam alias, tum certe Hierosolymis illustrissimo fieri coepit modo, cum παρακλητος ille, a Patre Filii nomine demissus, coelitus descenderet, uti quidem ipse praedixerat Servator in evangelio. (b) Hic spiritus sapientiae & patefactionis autor, oculos mentium illustrans, Deo confisarium: (c) ubi autem ille ibi libertas, (d) ibi pii omnes detecta facie splendorem Domini quasi in speculo intuentes, in eandem transformantur imaginem, perpetuando splendore, tanquam a Domini Spiritu. (e) Quemadmodum vero regnum Dei hautquaquam cibus est & potio, sed justitia & pax & gaudium in illo Spiritu Sancto: (f) ita nec initium ejus a corporis potius quam animi recreatione factum. Sic sibi quidem persuaserant nonnulli divinae rei contemptores, cum novi federis Legatos audirent τα μεγαλεια του θεου παρρησιασικως adeo diversis Parthorum, Medorum, Elamitarum & quorum non? linguis eloqui. Sannis eos excipiebant, dicentes: meri plenos esse, (g) quo isthoc se tempore largius invitare Judaeos consuevisse sequiores, responsum Petri Spencero (h) opinandi caussam haut adeo levem praebuit. Non enim, inquit, temulenti hi sunt, ut vos arbitramini, cum sit hora diei tertia, (i) quae erat nostra nona antemeridiana. Id videlicet volebat ex mente illius intellectum a Zoilis istis: nullum adhuc oblatum est sacrificium, nec inchoata celebritas, unde quis possit suspicari, homines hosce poculis immoderatus indulgisse. Nondum est perventum ad illam solemnitatis definitam horam, qua ita se vino mergere

quasi
 (a) v. 4. (b) Joh. XIV. 26. (c) Eph. I. 17. (d) vid. Ps. LII. 4. (e) 2 Cor. XIII. 17. 18. (f) Rom. XIV. 17. (g) Act. II. 6. ff. (h) de leg. Hebr. lib. III. diff. I. cap. 9. p. 91. (i) v. 1. q

quasi assolent luxuriosi, ut nec mens nec lingua satis officium praestet. Hoc vero illud est, ita pergit, (k) veram rei causam expositurus, hoc illud est, quod dictum per Vatem Joelem (l) fuit: Et continget ultimis temporibus, (inquit Deus) ut effundam ex Spiritu meo in omne genus hominum, & vaticinabuntur vestri filii ac filiae, laetifico illo oleo delibutae, (m) & quae sequuntur. Cui similis illa pollicitatio Esaiana, licet ad familiam Jacobi adstricta: perfundam aqua sitientem, aridamque rivis; perfundam Spiritu meo tuam stirpem, meaque beneficentia progeniem tuam: & graminum more pullulabunt, efflorescentque tanquam ad aquam profluentem salices. (n) Qua aqua, & quo Spiritu qui denuo natus non fuerit, non poterit ullo pacto in divinum regnum intrare, (o) ne in illud quidem, quod hisce in terris aperitur. Et ecce! uti dictum, ita factum suo tempore, & factum quidem auspiciis a divinis Apostolis est. Cum enim exorto flatu (p) visae ipsis essent dividuae linguae quasi ignis, hicque (*) super unumquemque eorum resedisset, extemplo repleti sunt singuli, Spiritu Sancto, cujus beneficio tanti evasere tamque divini oratores. Cogitate autem, Cives, quam egregie per omnia & tempus conveniat, & rei exitus respondeat figurae illi Mosaicae, quam pinximus superius. Advenerat, nec dum impleta erat η ημέρα της πεντηκοστής, cum haec ita evenirent, uti nos quidem ex Luca retulimus. Sic teneatis ab hoc autore (q) & divo Paulo (r) passimque adeo in Novi Testamenti libris nuncupari solemnia hebdomadam, quod in diem ab altero azymorum, quo offerebatur spicarum manipulus, quinquagesimum, quintum vero mensis Sivan, si menses

(k) v. 16. ff. (l) II. 28. (m) secundum Es. LXI. 3. conf. 1 Joh. II. 20. 27. (n) c. XLIV. 3. 4. (o) Jch. III. 3. 5 (p) Vid. Urs. Anal. sacr. VI. 38. (*) vel potius Spir. S. in eo. (q) Conf. XX. 16. (r) 1. Cor. XVI. 8.

Hebraeorum tricenarios supposuerimus, incideret, qui
 ipso die festo complebatur. (s) Et quoniam etiam quinquaginta
 dies ab egressu suo ex Aegypto, usque ad sanctionem legis in monte
 Sinaitico, (t) hoc ipso die factam, numerabant Judaei, hujus quoque rei
 notabilis memoriam quotannis tum renovasse perhibentur, eoque mel &
 ficus comedisse. O vero quanto jucundius erat beneficium, quod nunc
 religiosa mente recolunt Christiani coetus, quando non voce terribili,
 sed grata placidaque specie legem non Mosis, sed Christi per Spiritum
 Sanctum in orbem terrarum evulgavit Deus, eandem isthoc suo quasi
 digito animis federatorum inscripturus. (u) Atque hujus blanda quadam
 vi perculsi, ineunte magna illa messe (x) ter mille Judaei, (y)
 spiritali Zioni tanquam *απαρχή αγία των του θεου κλησμάτων* (z) accesserunt,
 se ipsos sistentes hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo. (a)
 Quem cultum rationalem cum alii multi pridem venerabundi
 praeviderant, tum in primis David Rex (b) & Malachias (c) in
 Vatum serie extremus, praedicens fore, ut ex Levitis aliqui
 minimum sint Jehovae, qui ei juste offerant suum munus. His vos
 associate, Cives, & exsultate, sed cum tremore, ut David
 praemonebat aequales Messiae futuros, (d) ne forte tristitia
 afficiatis Spiritum illum promissum Dei, (e) quo & vos
 consignati estis ad liberationis diem. (f) Exsultate, sed coram
 Jehova, quo praesente Numinis ipsius infinita indulgentia
 publicis vobis praeconiis commendatur, ne Spiritum Patris per
 suos interpretes vos allo-

(s) Lev. XXIII. 15. 16. conf Joseph. Orig. III. 13. (t) Ex. XIX. (u) Jer. XXXI. 33. Hunc vero typum Pentecoste Christiana per partes comparavit Botiacc. Promt. Alleg. c. III. p. 54. ff. x) Matth. IX. 37. (y) Act. II. 41. (z) Rom. XI. 16. Jac. I. 13. (a) Rom. XII. 1. (b) Ps. LI. 22. coll. IV. 6. (c) III. 3. (d) Ps. II. 11. (e) Ep. I. 13. f. (f) IV. 30.

alloquentem (g) ad iram proritetis. (h) Cavete summa viri-
 um contentione ac studio, ne hic vos praebeatis, ut ager ille
 petrosus spinosusve, de quibus Christus apud Matthaeum,
 (i) Marcum (k) & Lucam. (l) Illi similes animi & ipsi
 protinus cum gaudio capiunt coeleste verbum, sed tan-
 tum ad tempus, quia radicem in sese non habent: hujus qui
 praeferunt speciem, divitiarum voluptatumque cupidine
 toti quasi obsiti, fiunt infructuosi, & si liceat voce uti Pli-
 niana, sterilefcunt. Ceterum qui in terram bonam semen
 excipiunt, hi sunt, qui audiunt sermonem & intelligunt &
 retinent animo probo ac bono, (m) qui denique etiam fru-
 ctum referunt constanter, alius quidem trigecuplum, alius
 sexagecuplum, alius, vero centuplum. Aut nos omnia fal-
 lunt, aut is meretur istiusmodi obsequium, cujus ope
 aperti sunt oculi vestri, ipsique conversi estis a tene-
 bris ad lucem, & a potestate Satanae ad Deum, (n) ut pec-
 catorum veniam, & eandem cum iis sortem consequere-
 mini, qui sancti sunt facti, habita Deo fide. (o) O quanto
 vos beatiore estis priscis majoribus vestris, non iis so-
 lum, qui in caligine gentium degebant antiquitus, sed
 iis etiam, qui sub sanguinari jugo Antichristi quondam
 pressi gemebant. Hoc pridem vos liberavit clementissimus
 Deus, nexuque tot inanium superstitionum expedit eo
 consilio, & extricavit feliciter, ut primitiae essetis, si non
 omnium hominum universe, eorum certe, qui exse-
 crandis caecatorum Judaeorum, Muhammedanorum,
 quin & populorum a veri Dei religione plane penitusque
 alieno-

(g) Matth. X. 20. (h) Es. LXIV. 10. (i) XIII. 20. ff. (k) IV. 16. ff.
 (l) VIII. 13. ff. (m) Hoc addit Lucas VIII. 15. (n) Conf. 2. Cor. IV. 6.
 (o) Act. XXVI. 18.



alienorum sacris adhuc suo malo impliciti vivunt. Vos, vos lectum genus estis, regale sacerdotium, (p) sancta gens, populus acquisitus, non minus atque illi, quibus scribebat Petrus! (q) Quid ergo vos deceat magis, quam ut ne similes vos praestetis saeculo isti, sed vestrae mentis renovatione transfiguremini, ut, quod velit Deus, quod bonum, acceptum perfectumque sit, id approbetis? (r) Quid vobis dignius, quid convenientius, quam ut vos totos corpore, animo ac spiritu victimam consecretis non Isidi cuidam Aegyptiacae, aut quam sub hujus nomine latere quidam voluere, Mariae, sed fecunditatis in Ecclesia primo ac unico autori largitorique Deo. Nemo vestrum aut novit, aut nosse potest, qua hora, quoque temporis articulo sit ultimum sonitura memorabilis illa ac decretoria vox: immitte falcem tuam, & mete: jam enim ecce! venit tibi hora metendi, quandoquidem aruit terrae seges. Tum vero is, qui insidebit illi candidae nubi, corona aurea ornatus, instructusque acuta falce, falcem illam suam immittet in terram, & messa haec erit confestim. (s) Tum ministerio usus suorum, colliget primum malas herbas, & colligabit in manipulos comburendas: frumentum vero comportabit in horreum suum. (t) Faxit Deus Opt. Max. ut nobiscum intrepidi omnes coram isto messore compareatis, ac in illa sempiterna admittamini Dei divorumque tabernacula! (u) P. P. Kiliae ipsis feriis sacrae Pentecostes Anno MD. CCCV.

(p) *Conf. Ex. XIX. 6. Apoc. I. 6.* (q) *1. ep. II. 9.* (r) *Rom. XII. 2.*
(s) *Apoc. XIV. 15. 16.* (t) *Matth. XIII. 30.* (u) *Luc. XVI. 9. conf. Joh. XIV. 2. 3.*